

R V P E R T I A B B A T I S

T V I T I E N S I S D E G L O R I F I C A T I O -

N E T R I N I T A T I S , E T P R O C E S S I O N E S A N -

C T I S P I R I T V S . L I B E R I .

Quod mysterium sanctæ Trinitatis thesaurus sit desiderabilis, & quod thesaurus in agro absconditus sit.

CAPVT I.

*Matth. 13.
Thesaurus
absconditus
in agro.*



Thesaurus desiderabilis tu nobis es o admirabile mysterium Trinitas, & thesaurus, absconditus quidem, sed taliter, vt inueniri possis ab homine attento qui te querit illuminatos, per fidem habens suæ mentis oculos. Vbi enim thesaurus ille absconditus est? in agro. Sic etenim Dominus dicit in Euangelio. Simile est regnum cælorum thesaurum abscondito in agro. Mira res. Nō in saculo, non in diuersorio, non in cubiculo intra cubiculum, vbi solent homines abscondere thesaurum suum, quia de furibus solliciti sunt, sed in agro, id est, in propatulo. Qualis (rogo) hæc est absconditio, absconditum esse in publico? Attamen ita est, & omnino verum est. Hoc opus nūc suscepimus, & hæc præsentis operis nostri est intentio, demonstrare, qualiter vel quo thesaurus iste sit absconditus in agro: dicamus ergo, quoniam thesaurum istum solis cæcis absconditum inuenimus nos: & hunc oculos habentibus, qui tamen fortè nondum satis viderunt, & videre volunt, quasi prætentō demonstramus digito.

Quod sanctæ veteris instrumenti scripturæ ille ager sit, & quam ob causam conuenienter agni nomine significata sit.

CAPVT II.

*Psal. 86.
Scriptura
populorum
libra.*

Ager iste de quo proposuimus: sanctæ veteris instrumenti scriptura est. Et rectè dicitur ager: quia profectō res publica est: res in aperto posita, & cunctis hominibus, imò populis omnibus, legere vel audire cupientibus, populiata est. Hinc est illud in Psalmo veraciter dictum: Dominus narrabit in scripturis populorum. Quid namque est quod dicit in scripturis populorum, nisi ac si diceret, in scripturis quæ populis exposte sunt, vel quæ à populis omnibus legi possunt? Quod vt diceret non fuisset necessarium, nisi essent quædā scripturæ siue quedam scripta quæ non sunt populorum, verbi gratia, scripta Platoni-

corum, scripta Aristotelicorum. Nimirū ad distantiam eorum quæ illi scripserunt, scripturæ sacræ rectè dicuntur scripturæ populorum, quia videlicet populos, id est, simplices à suimet lectione non repellunt, quin & si mysteria non citò percipiunt, at saltem literalem sensum & moralem quoque faciliè capiunt intellectum. At illorum scripta vel dicta lubricis anfractibus effugiendo, simplices à se repellunt. Exempli gratia: Si dixeris, mortuus est homo: dicunt mortuus non est homo. Et ex parte verum dicunt, quia si homo est, viuere: si autem mortuus est, & homo & anima & animatum corpus esse deliit. Quod non attendentes populi, id est, simplices stant attoniti. Sed nihilominus verum est dicere, mortuus est homo, eo videlicet sensu quo solemus à parte significare totum. Et rectè appellamus hominem corpus humanum vita defunctum: & huiusmodi locutionem sicut populi, ita & scripturæ nostræ recipiunt, suntque ob huiusmodi simplicitatem scripturæ populorum. Similiter quod hic de thesauro proposuimus, dicentes: absconditum in agro, id est, in publico, illi diceret vel scriberet, oppositum esse in adiecto, & cætera huiusmodi qualia populi non intelligunt. Attamen verum est, & non ita, vt sicut in eo quod antè dictum est: sic & isto, à parte significetur totum, imò de toto sentias totum, videlicet quia totum apertum vel publicum est videntibus, totum absconditum vel clausum est inuidentibus.

Quomodo vel qualibus thesauris eiusmodi in tali agro absconditus sit, & à quibus citò possit inueniri.

CAPVT III.

Diximus quo in agro thesaurus iste absconditus sit, scilicet gloriosa distinctio personarum sanctæ trinitatis, iam dicendum, quomodo illic absconditus sit. Vtrunque etenim demonstrare supra propositum est, & quo in agro, & qualiter absconditus sit. Non longè pro hac demonstratione exemplū petatur. Præsens enim adeest idoneum, si respicias vnde dixerit: Dñs narrabit in scripturis populorum. Vtiq; dices mihi qd hoc dixerit de illo, qd sub interrogatione præmiserat hoc modo:

A 2 Nunquid

Sicut populi, ita et scripturæ tropos admittunt.

Psal. 86.